



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 195. Quis in illis, pœnis jam incursis dispensare & ab iis absolvere possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Extrav. ambit. ac imprimis invalidatio istiusmodi alienationis, ita ut nullius omnino sint roboris. Dein excommunicatio lata in alienantes & recipientes. Tertia interdictus penitus ipso iure ingressus ecclesie Episcopis & Abbatibus, & perseverantibus illis post sex menses immediate sequentes sub hoc interdicto à regimine & administratione ecclesiarum, & monasteriorum in spiritualibus & temporalibus eo ipso suspensionis incurfus. Quarta Prælati inferioribus, commendatariis, ecclesiarum Rectoribus, beneficiatis, vel administrationem quomodolibet obtinentibus ultra excommunicationem Statuta ipso facto incurrenda privatio omnium dignitatum, officiorum, administrationum, beneficiorum, tam curatorum quam non curatorum sive secularium, sive regularium, quæ obtinent, & quorum res & bona alienaverunt. Quæ penæ omnes decreto S. Congreg. Cardinal. Concilii Interpretum decreto, jussu Urbani VIII. edito confirmantur, adjecta insuper contra Prælatos & quoscumque Superiores regulares penam privationis omnium suorum officiorum, nec non vocis activæ & passivæ penam privationis & perpetuæ inhabilitatis ad illa impostero obtinenda ipso facto incurrenda. Et hæc quidem, ubi illa *Extrav.* & dictum Decretum simpliciter & quò ad omnia recepta & in usu sunt. De quo paulò post.

Quest. 194. An dictæ penæ Extravag. ubi ea obtinet, incurrantur ante omnem declarationem?

Resp. etiam in *cit. Extrav.* dicitur: Prælati, inferiores beneficiati & c. nimirum alienatores rerum Ecclesie, ipso facto privati existant (nimirum officii, beneficii & c.) illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios aliosque, ad quos eorum collatio pertinet, aliis idoneis libere de jure conferri & c. nihilominus non incuruntur in conscientia ante latam sententiam, saltem condemnatoriam vel declaratoriam criminis commissi, seu perperam factæ alienationis, ita ut alienans ante eam se abdicare seu relinquere beneficia, officia & c. teneatur Sanch. l. 2. mor. c. 22. n. 20. Henric. l. 13. c. 56. n. 4. Navar. man. c. 27. n. 110. Dian. p. 3. tr. 2. resol. 66. & alii, quos citat & sequitur Delb. de immun. eccl. c. 19. du. 23. f. 1. num. 13. siquidem lex pœnalis etiam si feratur ipso facto vel jure, adhuc ante sententiam seu condemnationem, saltem criminis, in foro conscientie non obligat. ac ita verba illa: ipso jure vel ipso facto, nullà expectatà à iudicis sententiâ seu declaratione intelligenda de sententia declaratoria penæ incurse, non verò criminis commissi; foret enim aliàs lex humana nimis dura, & fragilitati moribusque hominum parum accommodata, dum vel sic idem cogereetur esse reus, Judex & justitiæ executor, & sepe sui criminis occulti proditor & accusator. Ita cum communiore Cajet. 2. 2. q. 61. a. 3. & in sum. v. pena. Vasq. 1. 2. Tom. 2. d. 168. n. 15. Sorus de iust. l. 2. q. 61. a. 3. Molin. de iust. Tom. 1. tr. 1. d. 96. dicens esse communem inter Theologos & Jurisperitos. Sanch. de mat. l. 9. d. 30. & l. 2. mor. c. 22. num. 7. Dian. loc. cit. Delb. loc. cit. num. 7. & plures alii apud illum contra Abb. Sayz. Castrum. Meroll. Bonacin. R. P. Leurr. Jur. Can. Lib. III.

& alios apud eundem. Verùm de hoc alibi expresso.

Quest. 195. Quis in dictis pœnis jam incurfis dispensare, & ab illis absol. vere possit?

1. **R**esp. Primò: quod attinet in specie excommunicationem illam in *Extrav. ambit.* cum ea nulli reservata sit, ut patet ex illius contextu, & notant Angel. v. excommunicatio. 7. num. 48. Suar. Tom. 5. d. 22. f. 6. num. 6. Gavant in man. Episc. v. alienatio num. 28. Pirh. h. t. num. 56. Delb. num. 17. du. 22. num. 9. poterunt ab ea absolvere in foro conscientie omnes Prælati suos subditos; non obstante, quò dicta absolutio obtineatur quandoque per Brevia, penitentiariæ vel signaturæ; cum id fiat, ut ait Delb. loc. cit. num. 10. vel pro foro exteriore ad obviandum molestiis, quæ ex eo oriri possent, vel etiam pro interiore ad majorem cautelam, vel etiam, ut addit idem, quia aliqui id faciunt ex ignorantia autoritatis, quam habent in hoc puncto eorum superiores. Neque etiam, quò dicta excommunicatio, ut Thesaur. in pr. p. 2. v. alienatio. §. nota circa. sit reservata per Tridentin. sess. 22. c. 11. Nam, ut respondet Delb. num. 11. remittendo ad Filiuc. tr. 44. c. 6. num. 3. in fine Concilium loquitur de usurpantibus, seu in proprios usus convertentibus bona ecclesiarum; ac proinde extendendum non est ad alienantes simpliciter.

2. **R**esp. secundò: in reliquis etiam pœnis, quatenus vi *Extrav. ambit.* jurisque communis Statutis, cum nulli quoque reserventur, dispensare possunt superiores illorum, qui malè alienarunt; cum hi in subditos ordinariam habeant auctoritatem quò ad ea, quæ reservata aliàs non sunt. Delb. num. 28. In pœnis verò statutis in Decreto memorato S. Congr. aut etiam in eo relatis ex *Extrav. ambit.* dispensare non poterunt iidem superiores; cum eo ipso, quò ibidem illorum alienantium superioribus ipsi etiam Generali & Protectori expressè adimatur potestas eas relaxandi & moderandi, quæ tales reservatæ videantur Sedi Apostolicæ, ut Delb. num. 18. nisi fortè de novo post dictum decretum editum. 7. Sept. 1624. concessum aliquorum Ordinum Prælati privilegium dispensandi in iis cum suis subditis, cum omnia privilegia quò ad hoc aliàs quibusdam concessa per dictum decretum sublata.

Quest. 196. Quinam excusentur ab his pœnis, etiam ubi dicta Extrav. & Decretum S. Cong. sunt recepta?

1. **R**esp. sequentes: primò non incurunt excommunicationem ceterasque censuras & pœnas *Extravagantis* alienantes & res alienatas recipientes citra dolum & scientiam cum ignorantia facti, dum ignorant res esse ecclesiasticas aut non adhibitæ solennitates, vel etiam juris, dum ignorant prohibitam sine talibus solennitatibus alienationem aut etiam tales pœnas statutas alienantibus & recipientibus. Navar. de reb. eccl. non alien. conf. 19. Quar. v. alienatio num. 9. & 10. Suar.